



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXV. Alexandri Papae III. Ad Gilbertvm Episcopvm  
Londoniensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

iuratoria est præstita, nec (sicut aiunt) a vobis exacta: sed potius iuramento afferitur confirmatum, ut regni consuetudines iniquæ, sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibatae debeant omni tempore conseruari. In quo et si multum prænominati regis vehementia nos conturbat, amplius tamen de vestra & aliorum coepiscoporum vestrorum possumus infirmitate moueri, qui (quod dolentes dicimus) facti sicut arietes non habentes cornua, abiustis absque fortitudine ante faciem subsequentis. Et si forte hoc licere tibi, frater archiepiscope, in propria potuisse prouincia, quomodo tamen in aliena & illius præcipue qui exulare pro iustitia & solus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratione possumus, nec de sanctorum patrum constitutionibus inuenire. Unde & post tam iniquas consuetudines iuramento firmatas, non adiecistis sumere scutum fidei, ut staretis pro domo Domini in die prælia. Ne autem, si diutius tacuerimus, vna vobiscum in die iudicii damnationis sententia inuolumur, auctoritate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, cui auctore Deo ministramus, ab omni vos officio episcopalibus suspendimus dignitatis.

## EPISTOLA XXXV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD GILBERTVM EPISCOPVM LONDONIENSEM.

*Alexander seruus seruorum Dei, &c.*

**Q**VÆ causa venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum, & sedis apostolicæ legatum, a sua sede exulare compulerit, non oportet præsentibus annotare: quoniam & vos præstantialiter aspexitis, & id per totam fere occidentalem ecclesiam fama celebris diuulgauit. Cum autem piæ memoriae Theodaldus Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor huius archiepiscopi, Anglorum regi coronam imposuerit, ac per hoc Cantuariensis ecclesia quasi possessionem huius dignitatis habuerit, vos nunc noui regis coronationi, archiepiscopo non præmonito, in eius prouincia ministerium præbere (literis apostolicis id prohibentibus) præsumpsistis: & qui releuare eius exilium qualibuscumque solatiis

*Concil. Tom. 27.*

Oo

debuistis, aggrauastis potius causam eius, & super dolorem vulnerum eius ( quod mœrentes dicimus) addidistis. In quo facto, si contra personas vestras, non quantum culpa exigit, moueamur, pertransire tamen hoc sub silentio non debemus, ne forte, quod Dominus auertat, & nos & vos sententiæ diuinæ seueritatis addicat, si ea quæ in ecclesiis omnium perperam acta sunt neglexerimus vindicare. Noueritis itaque vos tamdiu ab episcopali officio commissa nobis a Deo auctoritate suspensos, donec ad sedem apostolicam de tanto excessu satisfacturi accedatis, nisi præfato archiepiscopo ita satisfacere curaueritis, vt poenam istam ipse iudicet relaxandam.

## EPISTOLA XXXVI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILELMVM EPISCOPVM SENONENSEM  
APOSTOLICÆ SEDIS LEGATVM.

Purgat calumniam illam, qua dicebatur suo mandato Londonensem episcopum absolutum esse.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto filio Vvilembo episcopo Senonensi, apostolicae sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.*

**L**ITERAS quas nobis super negotio venerabilis fratris nostri Cantuariensis archiepiscopi deuotio tua transmisit, gratanter admisimus, & eas diligenter curauimus ac studiose audire. Verum quoniam Londoniensis episcopus ad nos nequaquam accessit, nihil de causa sua statuimus. Sed si ad nos venisset, nos iam dicto archiepiscopo, Cantuariensi videlicet, quantum salua conscientia nostra fieri posset, suam iustitiam studeremus conseruare. Qualiter autem in causa ista processimus, ei iam ex parte, nec non & carissimo in Christo filio nostro Ludouico illustri Francorum regi, (sicut tibi viua voce iniunximus) satis credimus innotuisse. Nos enim nihil inde post discessum tuum mutauimus, nec in posterum duximus immutandum, licet præfatus Anglorum rex nos exinde per consules Lombardia, qui vna cum nuntio coram nobis præsentes erant, nec non & per nuntios carissimi in Christo filii nostri Manue lis illustris Constantinopolitani imperatoris instantissime